

NOMINA EXCOMMUNICANDORUM.

(*Ex eodem Pontificali ms.*)

Hi sunt vocandi. Guillelmus de Arcis, filius Huberti, Rogerus Arundel, Guillelmus de Vernum.

Hi sunt excommunicandi. Robertus filius Helgonis, Guillelmus de Poiteio, Gunfridus de Falesia, Gualterus diaconus de Sancto Leodecaro, Herber-

tns de Tot similiter, Goffridus de Comanvil, filia Heltonis, filia Ansguoldi, Ricardus de Fonte, filia Benzolini, Radulfus de Argento, de filiabus Ansguoldi, quarum unam habet Ricardus, alteram Gislebertus. Monachi pecuniam habentes.

MONITIO EPISCOPI AD ORDINANDOS.

(*Ex Pontificali ms. bibliothecæ cathedralis Rotomag.*)

225 In celebratione ordinum præmuniantur ordinandi quod pure de peccatis sint confessi, et qui in sacerdotali ordine esse voluerint præparent se communi. Omnes etiam sibi provideant de vestibus necessariis, et quod habeant tonsuras competentes. Cum aguntur ordines, fiat sermo, si placet; postea fiant inhibitiones sequentes, si sint generales ordines et episcopo placuerit, ad terrorem male subintrantium, sub hac forma.

Ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sub poena excommunicationis majoris inhibemus ne aliquis ligatus infra scriptis impedimentis contra sanctorum Patrum decreta ingerat se ad ordines suscipiendos. Primo ergo, secundo et tertio monemus et inhibemus, sub poena anathematis, ne quis se ingerat ordinandum, nisi prius examinata persona, cum titulo matriculatus, et infra scriptus fuerit et vocatus, ne quis etiam mortalis peccati conscius, vel excommunicatus, aut suspensus ordines recipiat, nisi prius potestatem habenti confiteatur et debite absolvatur. Ne autem ignorans ignoretur, irregulares **226** qui, secundum sacros canones, ab ordinibus prohibentur, duximus seriatim et per ordinem specificandos: Quicumque homicida; item, ecclesiarum incendiarius, seu earum fractor [*ms. fractus*] violentus; item, advocatus in causa sanguinis, vel notorius perjurus; item, executor sævorum tormentorum in publicis administrationibus; item, Simoniacus qui quodcumque beneficium vel titulum illicite adeptus, vel religionem taliter est ingressus; item, inventor vel fautor Simoniacarum pactionum; item, apostata a fide vel religione, non reconciliatus; item, qui ab episcopis hæreticis, schismaticis gratiam sedis apostolicæ non habentibus scienter aliquos [*ms. alios*] ordines recipit; item, qui sub falso titulo vel ficto, aut alias pacto imo cum suo præsentatore de huiusmodi titulo postquam ordinatus fuerit eidem restituendo, vel alias occasione huiusmodi eundem non inquietando, vel qui annuam pensionem, vel quodcumque emolumentum tempo-

rale, presentationem vel promotionem procuranti, sub quocumque promiserit colore; item, per saltum ad aliquos ordines promotus; item, prius conjugatus, nisi hoc faciat in casu a jure permissio; item, nullus qui excommunicatus scienter ordines recipit aliquos, et in susceptis ministrare præsumperit; **227** item, bigamus, vel corruptarum maritus; item, Deo sacratarum virginum violator; item, nullus sortilegus, vel necromanticus, vel prohibitarum artium doctor sive factor; item, morbo sontoico vel caduco, lunatico, vel alio incurabili morbo laborans, aut corpore vitiat; item, illegitimus, nisi cum eo fuerit dispensatum sufficienter; item, servus natus præter conscientiam et voluntatem domini sui; item, nullus alterius diocesis, nisi litteras dimissorias habuerit, ac etiam titulum sufficientem. Item, inhibemus quod nullus ordinem subdiaconatus accipiat, nisi sit ætatis xviii annorum, diaconatus xx, presbyteratus xxiii et xxv annum attigerit; item, nullus religiosus de jure vel facto non professus; item, curatus beneficiatus, qui infra annum non fuerit ordinatus in presbyterum a tempore curæ susceptæ, et pacificæ possessionis adeptæ, nisi ex dispensatione, qua etiam rite sit usus; juxta constitutionem *Cum exc.*: item, nullus sine vero titulo, vel cujus titulus ad non titulum est redactus, nisi in gratia speciali. Quibus omnibus et singulis durantibus impedimentis supradictis, ut ab huiusmodi ordinum susceptione se abstineant, quousque cum eis fuerit dispensatum, **228** præcipimus sub poena excommunicationis superius adnotata, et bene caveatur de omnium mutilatione membrorum ordinandorum in sacris; ne sicut etiam gibbosi, vel manci, vel alias corpore vitiat, propter scandalum cleri et Ecclesiæ evitandum.

Quia res quam tractaturi estis satis periculosa est, fratres charissimi, moneo vos ut diligenter et honeste totius missæ ordinem, et consecrationem, et fractionem atque communicationem ab aliis jam doctis sacerdotibus discatis, priusquam missam vestram cantare præsumatis.

BENEDICTIO ABBATIS MONACHORUM.

(*Ex eodem Pontificali ms.*)

In ordinatione et benedictione abbatis per electionem monachorum, primo venit ad altare indutus in habitu pontificali pro missa dicenda, et dicit Consi-

teor, etc. Et postea debet sedere ante altare in sede sua præparata, et tunc duo abbates adducunt novum abbatem ante episcopum indutum amictu, alba, mis-